

**«...ET SECUNDUM EAM PECULIAREM CURAM
CIRCA PUERORUM ERUDITIONEM...»**
(*Const. S.J., P.V., c. 3,3*)

SUMMARIUM: 1. Omnes Professi Societatis Jesu inde ab Ignatio in emittendis votis «promittunt» curam circa puerorum *in doctrina christiana* eruditionem. 2. Prout habetur in prima «Formula» Instituti. 3. Duplex Ignatii propositum quoad hanc explicitationem in professione. 4. Ita ut hoc ministerium imponatur omnibus sociis, praeter solos Coadiutores Temporales. 5. Normae aliquae ostendunt momentum quod tribuit huic ministerio: praeparatio; partes memoriae. 6. Scribendae lectiones seu catechismus. 7. Spiritus adaptationis. 8. Persuasio intimae animae Ignatii de momento huius ministerii. Ab initio suae conversionis Ignatius doctrinam christianam pueris tradit. 9. In ipsis Exercitiis Spiritualibus instructiones catecheticae manent. 10. Etiam post gradum magistri Parisiensis et iam viis mysticis proficiscens, pergit in hoc ministerio, suosque socios ad id adducit, etiam iam Romae. 11. Approbata Societate, et Generalis electus, non statim valedicit huic ministerio. 12. Exstat ipsius scriptum praelectionis suae catecheseos. 13. Insistit in hoc ministerio in instructionibus ad suos qui in altas missiones mittebantur. 14. Conclusio: agitur de charismate non tantum personali sed suis transmittendo.

1. Omnes quotquot in Societate Iesu professionem sive sollemnem sive trium votorum emittunt¹,

¹ *Constitutiones*, P. V, c. 3, 6; c. 4, 2. «Professi trium votorum», emittunt professionem sollemnem, verumtamen non addunt quantum votum oboedientiae Summo Pontifici circa missiones; Coadiutores autem spirituales tria vota emittunt, non vero sollemnia.

«Professi» in Societate Iesu non intelliguntur, ut in Codice Iuris Canonici, omnes qui [religiosa] «vota profitentur» sive

iam inde ab ipso Ignatio primisque sociis, post vota paupertatis, castitatis et oboedientiae, verba illa «*et secundum eam*» [oboedientiam promitto omnipotenti Deo] *peculiarem curam circa puerorum eruditionem*², coram hostiam consecratam proferunt. Anno 1541, die 22 Maii, Ignatius iam electus Praepositus generalis et primi socii professionem emittunt ad S. Paulum extra muros. Ignatius, pro suo officio, verba illa in hunc modum mutaverat: «*Rursus promitto me curaturum ut pueri erudiantur in rudimentis fidei iuxta*

perpetua (cfr. vg. can. 651 § 1) sive temporaria (vg. cf. can. 653 § 2), sed intelliguntur qui in Societate vota sollemnia profitentur, quique in mente Ignatii nucleum fundamentalem novi Ordinis constituunt (cf. «Formulam» IULII III nn. 2-3, 8-9). Explicant enim Constitutiones: «*Quarta huius nominis Societatis acceptio, et maxime propria, Professos dumtaxat continet; non quod eius corpus alia membra non habeat, sed quod hi sint in Societate praecipui, et ex quibus aliqui, ut inferius dicitur, suffragium activum et passivum habent in electione Praepositi Generalis, etc.*» (p. IV, cap. 1, n. 1 A).

² Constitutiones, P. V, 3, [B]. Textus formulae professionis habet «*puerorum eruditionem*», nec alia habetur expressio in declaratione [B]. Haec puerorum eruditio semper intellecta est, in documentis quae praecesserunt et quae subsequuta sunt, de «doctrinae christianae institutione». A. OSWALD scripsit sub titulo «*De Catechesi habenda*»: «*Tanta in aestimatione est hoc sacrum ministerium, ut eius specialis mentio ingeratur in eo ipso actu, qui praeter omnes est nobis carus et exoptatus, nimirum in ipsis emittendis ultimis votis*» et remittit ad hos textus Constitutionum (*Commentarius in decem partes Constitutionum societatis Iesu*, Insulis, Desclée de Brouwer et Soc. 1902, n. 661). Ipse vero auctor scripsit, recolendo «declarationem» [B]: «*Quae verba non sunt votum proprium distinctum a voto oboedientiae, nec inducunt specialem quandam obligationem distinctam, sed adduntur propter rei gravitatem*» (*Ib.* n. 254). Ubi nihil nisi conceptum NADAL refert: «*Tanti fit in Societate hoc ministerium ut adhibeatur in voto sollemni, non quod sit quartum votum, sed ne negligatur*» (*Monumenta Historica S.J.*, Nadal V, 788).

eandem bullam et Constitutiones»; socii vero quinque qui cum eo professionem primi emiserunt: «rursus promitto me oboediturum circa eruditionem puerorum...»³

Bulla de qua Ignatius seu «*Formula Instituti*» a PAULO III inclusa in suis Litteris Apostolicis «*Regimini militantis Ecclesiae*», quibus Societatem Iesu approbaverat die 27 Septembris anni praecedentis, Societatem asserit esse

«ad hoc potissimum institutam ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana... [per varia ministeria] et nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem...»⁴.

2. Cogitaret quis, hos sex presbyteros, qui primi professi et fundatores novi Instituti sunt, non magistros esse Universitatis Parisiensis, sed vota et specificam promissionem fieri a simplicibus clericis illorum temporum reformationis quae immediate praecedunt Concilium Tridentinum. Immo, pergit «*Formula*» fundamentando quod praecedat propositum:

³ *Monumenta Ignatiana*, FontNarr. I, 21. In Constitutionibus, P.V, c. 3,3 verba sunt ut in titulo huius articuli.

⁴ «*Formula Instituti*», n. 1. «*Formula*» est summaria descriptio ab Ignatio cum suis primis sociis conscripta ut summo Pontifici praesentarent substantiam huius novi Instituti Religiosi, prout ab ipsis concipiebatur, et prout ipsi intendebant illud praesentare eis qui de eodem informationes cuperent, immo et futuris candidatis (n. 9). Est ergo «*Regula*» (n. 6) fundamentalis novi Instituti.

In «*Formula*» a IULIO III in Litteris Apostolicis «*Exposcit debitum*», diei 21-7-1950 inclusa, quaedam mutantur, non autem specificatio huius ministerii: «...ad hoc potissimum institutae [Societatis] ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana, per... [ministeria varia]... puerorum ac rudium in christianismo institutionem...» (n. 1).

«Est enim maxime necessarium circa providentiam huius rei diligenter Praepositum et Consilium invigilare cum et in proximis aedificium fidei sine fundamento non possit consurgere, et in Nostris periculum sit ne, ut quisque, erit doctior, ita provinciam hanc, tanquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detrectare conetur, cum tamen revera nulla sit fructuosior, vel proximis ad aedificationem vel Nostris ad caritatis et humilitatis simul officia exercenda»⁵.

Omissio horum verborum quae magis evolvunt illa quae n. 1 continentur, in Formula quae post decem annos approbata est a IULIO III, non videtur indicare mutationem propositi in mente Ignatii, sed deberi videtur ordinationi materiae magis accuratae, dum aestimatio huius ministerii necnon periculi illud negligendi exprimitur in Constitutionibus⁶.

⁵ «Regimini Militantis Ecclesiae», n. 6.

⁶ Declarant Constitutiones: «*promissio docendorum puero- rum ac rudium hominum... non inducit aliam obligationem quam reliqua spiritualia exercitia quae ad auxilium proximorum adhiben- tur; cuiusmodi sunt Confessiones et praedicationes, etc., in quibus quisque se debet occupare, iuxta rationem oboedientiae suorum Superiorum*» (Pars V, cap. 3, [B]). Addunt tamen: «*Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit ut sancta haec exercitatio peculiari modo sit commendata, et devotius curetur propter singulare obsequium quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; et quia facilius oblivioni tradi poterat et in desuetudinem abire quam alia magis speciosa cuiusmodi est praedi- catio, etc.*».

Opinatur de ALDAMA Ignatium et primos socios, post vota oboedientiae, paupertatis et castitatis, necnon oboedientiae Pa- pae, «*verum votum pronuntiasse*» relate ad instructionem puero- rum, iuxta «*deliberationes*» sociorum anno 1539 (MI Const. I, 12-13, n. 12; 67-68; 235, n. 7). Sed deinde Ignatium acceptasse (non vero id sponte ipsum voluisse) mitigationem quae exprimitur in secunda formula Instituti quatenus omittit illud «*nominatim*» primae (n. 1) respectu puerorum et rudium in christianismo institutionis, ac praesertim quatenus omittit specialem recommen- dationem huius ministerii Praeposito Generali et Consilio (n. 6)

3. Quodsi Ignatius revera voti obligationem intenderat initio et deinde non maiorem quam pro aliis spiritualibus ministeriis, evidens tamen est ipsum non dereliquisse specialem mentionem huius ministerii in ipsa professionis formula, prout in Constitutionibus habetur. In declaratione nuper citata, duo mentem Ignatii revelant: ex una parte, vult ipse ut omnia ministeria spiritualia sociorum huius Societatis Iesu sub oboedientia peragantur, et hoc sensu non habentur alia ministeria maioris momenti quam alia. Sed, ex alia parte, manet praeferentia Ignatii erga hoc concretum ministerium, propter duas rationes, quarum prima indicat momentum obiectivum huius ministerii catecheseos in mente sua, alia vero praeferentiam eius huius ministerii in se humilis ideoque maioris

(A.M. De ALDAMA, «*Peculiarem curam circa puerorum eruditionem*», Recherches Ignatiennes. Service de Documentation, vol. 4, 1977, n. 5, pp. 3-9. Versio gallica ex originali hispano in *Cahiers de Spiritualité Ignatienne* 13 (1989) 150-157 [147-164]. Etenim si in primo textu Constitutionum (P.V, c. 3.3, [B]) non iam habetur «*Rursus promitto me oboediturum circa eruditionem puerorum in rudimentis fidei*» (sicut a sociis in emittenda professione ad S. Paulum extra muros), Ignatius tamen addidit sua manu, post promissionem oboedientiae Papae «*et circa puerorum eruditionem in bulla et in eius Constitutionibus contentam*» (MI, Const. II, 506). Ex redactione videretur promitti oboedientia Papae etiam circa eruditionem puerorum (ita POLANCO, qui aliam formulam proposuit ordinem invertendo: «*Insuper promitto Deo peculiarem curam..., et specialem oboedientiam S. Pontifici...*». Qua tamen formula si, iuxta explicationem, catechismus non est votum nec obligat plus quam alia ministeria, tunc nec oboedientia S. Pontifici votum est!, ideo perventum est ad «*et secundum eam [oboedientiam] peculiarem curam circa puerorum eruditionem*». Non obstantibus difficultatibus formulationis, Ignatius saltem non consentivit ut omitteretur mentio huius ministerii in ipsa professione (De ALDAMA, o.c. pp. 11-13; in versione gallica 159-162).

fructus spiritualis etiam pro ipso qui ministerium exercet⁷.

4. Ita habetur ministerium spirituale proficuum non solum pro proximis qui eodem adiuvabantur sed et pro ipsis qui eidem incumbunt, quod Ignatius eum imponit omnibus categoriis sociorum in Societate Iesu.

Si, ut dictum est, promissio includitur in formula votorum «professorum», eadem promissio facienda est a «Professis» trium votorum, necnon Coadiutorum Spiritualium⁸. De his ultimis, habetur clarificatio quae candidatis ad Societatem exponi debet, eosdem scilicet admitti posse «*ut in rebus spiritualibus Societatem iuvent*», in variis ministeriis administrationis sacramentorum, necnon «*in doctrina christiana et aliis litteris edocendis*»⁹.

⁷ Ni fallor hoc ultimum particulariter effertur in praescripto Constitutionum Rectoribus Collegiorum eorum qui ad ingrediendam Societatem praeparantur, scilicet ut, cum munus incipiet, per se «*ipse legere aut docere christianam doctrinam quadraginta dies debet*», nisi ex ratione aliqua sufficienti, id faciat per alium, probante Provinciali (*Constitutiones* p. IV, c. 10, n. 10 et declaratio [K]). Iuxta De ALDAMA agitur de additione Ignatii (scriptura sui secretarii POLANCO) postquam iam Constitutiones tradiderat NADAL promulgandas et explicandas (a.c. [nt. 6] 14 initio; in versione gallica: 162). Obligatio praeterea similis, omnium «professorum», non tantum Rectorum mansit in Constitutionibus (a.c. pp. 14-15; in versione gallica: 162-163). Ex una parte, limitatio ad 40 dies, rationem habere videtur potius humilitatis huius ministerii quam utilitatis doctrinalis pro audientibus; ex alia autem parte, quod non simpliciter Rectori detur dispensatio ex causa rationabili, sed adhuc praeceptum maneat etsi per alium exsequendum, considerari potest modus emphaticus in favorem huius ministerii, fere sicut supra in declaratione de obligatione promissionis factae a professis vel coadiutoribus spiritualibus in emittendis votis religiosiis.

⁸ *Constitutiones S.J.*, P.V, c. 3, n. 6.

⁹ «*Primum ac generale Examen iis omnibus qui in Societatem*

Re quidem vera, omnes categoriae sociorum Societatis Iesu, praeterquam solos Coadiutores Temporales, magisterium doctrinae christianae ministerium proprium considerare debent. «*Proponatur verbum Dei populo assidue in ecclesia [in contionibus, lectionibus] et in christiana doctrina*», statuitur in Constitutionibus, quando agitur de ministeriis apostolicis eorum qui iam formationem absolverunt. Prout supra notabam, ministeria ordinantur a Superioribus, unde quinam, quando, quomodo hocce ministerium suscipient, ab illis determinabitur¹⁰.

Vel ipsi Scholastici qui adhuc in probatione et studiis versantur, seu antequam professionem vel vota Coadiutoris Spiritualis emittant, exerceri debebunt, iuxta iudicium Rectoris, sicut in aliis ministeriis, in doctrina christiana tradenda, non tantum ut ipsi se exercent, sed etiam ut fructum spirituales obtineant inter domesticos vel etiam externos¹¹.

Quando Constitutiones admittunt et Collegia pro externis habenda, tam pro litteris humanis ac linguis docendis, non deest specificatio «*et doctrina christiana*»; immo statim explicant: «*Teneatur in huiusmodi scholis is modus quo externi scholastici in iis quae ad*

Iesu admitti petent proponendum» [solet citari «*Examen*»], c. 6, nn. 1-2.

¹⁰ «...*et in christiana doctrina, per eos quos Superior probaverit et ad tale munus destinaverit; et quidem iis temporibus et modo qui eidem ad maiorem Dei gloriam et animarum aedificationem expedire videbitur*» (Constitutiones, P. VII, c. 4, n. 6). Declaratio [E] explicat Constitutionem relinquere Superiori determinationem horum ministeriorum, propter rationem adaptationis «*quia quibusdam in locis fieri posset ut aliquando his mediis vel eorum parte uti non conveniret*».

¹¹ Constitutiones, p. 4, c. 10, n. 10.

doctrinam christianam pertinent bene instituantur»¹².

Quin immo, et novitii Societatis, inter varias quas experiri debebunt probationes, «*doctrinam christianam vel aliquam eius partem pueros et alios rudiores homines, publice vel privatim... docere*» debebunt¹³.

Et si de doctrina christiana externis tradenda, pueris et rudibus, curat Ignatius, imprimis de suis cogitat, etenim statuit ut tam Novitii quam studentes seu scholastici, eam addiscant¹⁴.

5. Iuxta mentem Ignatii, minime agitur de ministerio, utpote facili, perfunctorie assumendo, et cuiusdam improvisationi indulgendo. Si, ut vidimus, vult ut scholastici Societatis doctrinam christianam tradant, prout eorum Superioribus videbitur, pro illis praecipit: «*Studium etiam congruum in modo tradendae doctrinae christianae, qui sit captui puerorum ac rudium accommodatus, adhibeatur*»¹⁵.

Recenter IOANNES PAULUS II memorabat, in «*Adhortatione Apostolica*» *Catechesi tradendae*, non paucum in Synodo Episcoporum qui praeceserat disputatum esse de momento memoria tenendi quae in catechesi discuntur et, si non omisit indicare pericula non sufficienter intelligendi quaememoria retinentur, verumtamen quae sequuntur scripsit:

¹² *Constitutiones*, P. 4, c. 7, 1 [B] et 2. Commentatur OSWALD, experientia compertum esse «*non posse quid utilius*» in ministeriis haberi quam explicatio catechismi pueris et adultis.

¹³ *Examen*, c. 4, 14.

¹⁴ *Examen*, c. 4, 25; *Constitutiones* P. III, c. 1, 20.

¹⁵ *Constitutiones*, p. 4, c. 8, n. 6. Nemo mirabitur hodie can. 779 doctrinam christianam proponi debere praecipere ita ut «*fideles, ratione eorum indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus aptata*» ediscere possint, atque can. 780 praecipere Ordinariis locorum «*ut catechistae ad munus suum rite explendum debite praeparentur*», etiam addiscendo «*normas disciplinis paedagogicis proprias*».

«Cur nos non studeamus eius momentum pro catechesi modo prudenti et etiam singulari peculiarique restituere?... Quaedam exercitatio, qua memoriae mandantur verba Iesu Christi, loci biblici magni ponderis, decalogus, formulae professionis fidei, textus liturgici, preces precationes praecipuae, capita doctrinae christianae... vere necessaria est, quemadmodum Patres Synodi acriter monuerunt»¹⁶.

Iam vero, bis in Constitutionibus, Ignatius partes memoriae in doctrina christiana addiscenda memorat, imprimis cum de Societatis Scholasticis loquitur: *«cureturque, non solum ut addiscant quae conveniunt, sed etiam ut memoria teneant et exercent quae didicerint»¹⁷*. Id quod, aliis verbis inculcat, cum de doctrina christiana in collegiis pro externis est quaestio:

«Perlegetur etiam in Collegio aliquo die cuiuscumque hebdomadae christiana doctrina; et ut pueri eam ediscant et recitent, omnesque etiam adultiores, si fieri potest, eandem sciant, curabitur»¹⁸.

6. Aliud adhuc Ignatii praeceptum, quamvis verbis quasi per transennam dictis, maioris etiam ponderis sive propter influxum historicum, sive propter valorem intrinsecum, etiam nostris temporibus, videtur. Verba habentur in declaratione ad praeceptum supra memoratum ut scholastici studeant modo tradendi doctrinam christianam. Scripsit Ignatius: *«Iuverit etiam in compendium redactam habere explicationem rerum ad fidem et vitam christianam necessariarum»¹⁹*, scilicet iuverit habere catechismum.

¹⁶ *Catechesi tradendae*, VII: AAS 71 (1979) 1322-1323.

¹⁷ P. 3, c. 1, 20.

¹⁸ P. 4, c. 16, 3.

¹⁹ P. 4, c. 8, 6 [F].

Haec iam ante annum 1556, quando Ignatius moritur, scripta sunt; septem saltem annis antequam, anno 1563, Concilium TRIDENTINUM praeceperit ut

«Idem [episcopi] etiam saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et oboedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent».

et in alio canone denuo praecipiebat Episcopis ut doctrinam explicarent populo, atque a parochis explicandam curarent *«etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit»* et quidem

«iuxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentis praescribendam, quam episcopi in vulgarem linguam fideliter verti atque a parochis omnibus populo exponi curabunt»,

scilicet iuxta catechismum quod erat conscribendum, quodque a. 1566 publici iuris factus est²⁰.

²⁰ Sessione XXIV, Novembri 1563, de Reformatione, cann. 4 et 7. In Sessione XXV, Decembri eiusdem anni, praescripsit Concilium ut illi quibus opus commissum fuerat [*de catechismo apparando*], illud exhiberent Romano Pontifici (*Decretum super indice librorum, catechismo, breviario et missali*). «*Catechismus Romanus*» seu «*Catechismus ad Parochos*» sub Pio V, publici iuris factus est (cf. R.J. JANSEN, *Canonical Provisions for Catechetical Instruction. An Historical Synopsis and Commentary*. C.U.A., n. 107, Washington, D.C., 1937, 25).

Eo tempore quo Constitutiones Ignatius scribebat, Catechismum Romanum praecederat quidam Catechismus inceptus a certo Claudio, membro Societatis Iesu, atque a S. Petro CANISIO, S.J. completus et publici iuris factus, anno 1554: «*Summa doctrinae christiana*», cuius ulterius summarium ab ipso CANISIO publicatum est a. 1561 lingua germanica «*Kleine Katechismus*», forma simpliciori, pro pueris (cf. JANSEN, o.c., p. 26, nt. 102). Eius

7. Liceat tandem notare spiritum adaptationis, quod hodie dicitur, necnon observantia libertatis, quae Constitutiones S. Ignatii exprimunt.

Quando, uti supra vidimus, praecipit ut in scholis pro externis «*externi scholastici in iis quae ad doctrinam christianam pertinent bene instituantur*», necnon alia spiritualia ministeria erga eosdem perficiantur, pergit Ignatius: «*Et quia in particularibus multum varietatis esse oportebit pro varietate locorum et personarum, singula persequi non est huius loci*», sed vult ut in singulis Collegiis regulae propriae habeantur «*quae ad omnia necessaria descendant* [ac dum proponit Regulae Collegii Romani, eas non simpliciter assumendas, sed accommodandas, dicit.]²¹.

Ad libertatem studentium quod attinet, normam revera pro suis temporibus mirabilem, quaeque potius respondere videatur moderno post Vaticanum II spiritu, his verbis statuit, et quidem in contextu ubi de bonis ac christianis moribus ab scholaribus addiscendis agit. In «*declaratione*» scripsit:

«*Qui facile compelli possunt, compellantur ad id quod de Confessione... doctrina christiana... dicitur. Aliis amanter quidem persuadere convenit; sed ad id ne cogantur, nec, si id non praestiterint, a scholis expellantur*»²².

«*mirabilis ille... catechismus... in omnes paene linguas conversus atque in totum terrarum orbem, inque eas regiones potissimum quibus extremum haeresis periculum immineret, invectus, germanae catholicae doctrinae peperit victoriae laetitiam*» (PIUS XI, *Homilia* in canonizatione et renuntiatione tanquam Doctor Ecclesiae, 21-5-1925: AAS 17 [1925] 217).

Maximi etiam influxus duo alii catechismi a S. Roberto BELLARMINO, ad petitionem CLEMENTIS VIII, serius tamen conscripti sunt, a. 1597.

²¹ P. IV, c. 7, 2 et [C].

²² P. 4, c. 16, n. 1 [A]. Sicut in moderno Codice Iuris Canonici quaestio est de responsabilitate Pastorum, omnium

8. Haec quae in suis Constitutionibus scripta reliquit, persuasionem intimam Ignatii revelant et amorem erga hoc ministerium catecheseos pueris et rudibus docendae. Recolens Ignatium vix professione ab ipso emissa per 40 incubuisse huic ministerio scribit TELLECHEA talem activitatem non fuisse mere episodum quoddam sed «*respondisse immae aspirationi suae animae*», plus quam ipso voto in sua religiosa professione emisso. Pergit auctor «*agebatur de conceptu insito in mente Ignatii: 'docere pueris ac rudibus prima elementa doctrinae christianae'*»²³.

Unde, quomodo, conceperat Ignatius talem immam aspirationem? Inde ab initio post suam conversionem Ignatius quaerebat proximum iuvare suis conversationibus²⁴. Redux ex peregrinatione ad ter-

etiam fidelium ac praesertim parentum (cann. 773-774), sic Ignatius de responsabilitate agit suorum filiorum.

²³ «*El gesto no es puramente episódico, sino que responde a una aspiración profunda de su alma*» (Ignacio de Loyola solo y a pié, Ediciones cristiandad, Madrid 1986, 295). Addit ipse auctor «*y aun a un distintivo específico de la Compañía*». Verum est. Sed ideo quia ab ipso Ignatio hoc animae suae desiderium non solum suis sociis sed et documentis foundationalibus Societatis transmittitur ut vidimus.

²⁴ In primis conversationibus de quibus ipse refert, iam in oppido Manresa, quaerebat Ignatius propriam potius utilitatem spirituales: «*En este tiempo conversaba todavía algunas veces con personas espirituales, las cuales le tenían crédito y deseaban conversarle; porque, aunque no tenía conocimientos de cosas espirituales, todavía en su hablar mostraba mucho hervor y mucha voluntad de ir adelante en el servicio de Dios*» (Autobiografía, n. 21). «*Y a este tiempo*» — postquam refert illustrationes mysticas quas Manresa recepit — «*había muchos días que él era muy ávido de platicar de cosas espirituales y de hallar personas que fuesen capaces de ellas*» (Ib. n. 34). «*Estando todavía aún en Barcelona*» — cum ex Manresa profectus esset, ut peregrinationem ad Hierosolimam inciperet — «*antes que se embarcase, según su*

ram Sanctam, ubi in animo habebat manere ut «*animarum profectui incumberet*», id quod ei permissum non fuit, studia incipere cogitavit propter illam rationem apostolicam²⁵. Quam activitatem non tamen postponit, sed ut notat VILLOSLADA, inter alia, pueris in viis ludentibus catechesim faciebat²⁶.

Post duos annos studiorum Barcinone, philosophiam ac theologiam aggressus est apud Universitatem Complutensem (Alcalá), sed eodem tempore et apostolatam continuabat, tam Exercitia spiritualia proponendo, quam puncta concreta doctrinae christianae explanando, quae ad praxim vitae christianae se referebant, cum non parvo spirituali fructu et non minore rumore circa suam personam, unde inquisitores investigationem susceperunt²⁷. Curabat ipse ut

costumbre, buscaba todas las personas espirituales, aunque estuviesen en ermitas lejos de la ciudad, para tratar con ellas» (Ib. n. 37). Sed iam incipit agnoscere se non multum fructum spirituales ex illis conversationibus percipere: «*Y así, después de partido de Barcelona, perdió totalmente esta ansia de buscar personas espirituales*» (Ib. n. 37). Etiam litteris ad Provinciale cum iurisdictione in Sancta civitate petivit ut posset ibi manere tam ex devotione erga loca sancta quam ut apostolatam exerceret (Ib. n. 45).

«*San Ignacio fué catequista desde su conversión y durante todo el resto de su vida*» (A.M. de ALDAMA, a.c. [nt. 6] p. 1; in versione gallica 148).

²⁵ *Autobiografía*, n. 50.

²⁶ *San Ignacio de Loyola*. Nueva biografía, B.A.C., Madrid 1986, p. 260.

²⁷ Agnoscit ipse «*Estando en Alcalá se ejercitaba en dar Ejercicios espirituales y en declarar la doctrina cristiana; y con esto se hacía fruto a gloria de Dios*», necnon et agnoscit magnum concursum auditorum ad suas catecheses «*adonde quiera que él declaraba la doctrina*» (*Autobiografía*, n. 57). Conqueritur Ignatius circa suspensiones quae apud auctoritates oriebantur ex his exercitiis apostolicis: «*Mas no sé, dice, qué provecho hacen estas*

illae personae cum quibus colloquebatur ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae frequentius et cum fructu accederent. Et, ut ad profectum spirituales illas personas adiuuaret, exponebat virtutes aut vitia²⁸.

9. Illas instructiones quas initio suorum Exercitiorum Spiritualium scriptas reliquit seu «*Examen conscientiae generale ad purgandum se, et ad melius confitendum*», incipiunt aliquo parvo tractatu catechistico circa peccata sive cogitationibus [nn. 33-37], sive verbis [nn. 38-41], sive operibus [n. 42]. Ignatius non in sola expositione theoretica doctrinae christianae se continebat, sed totam ad fidem et virtutes vitae christianae ordinabat, et, ut notum est, proximos aliquos adiuuare conabatur ad vitam spirituales et orationis secundum Dei voluntatem ducendam, si eos capaces considerabat, per sua Exercitia Spiritualia.

Finite vero quarta Exercitiorum hebdomada, post contemplationem quam «ad obtinendum amo-

inquisiciones: que a uno, tal, no le quiso dar un sacerdote al otro día el Sacramento porque se comulga cada ocho días y a mi me hacían dificultad» (Ib., n. 59).

²⁸ «*Hablamos, dice el peregrino [ad dominicanos S. Stephani, Salmanticae] cuándo de una virtud, cuándo de otra, y esto alabando; cuándo de un vicio, cuándo de otro, y reprendiendo» (Autobiografía, n. 65). Ad iudices Salmanticenses qui quaesierunt declarationem primi mandati «detúvose tanto y dijo tantas cosas sobre el primer mandamiento, que no tuvieron ganas de demandarle más»; necnon ab eo quaerebant de illis quae de distinctione theologica peccatorum proponebat (Ib., n. 68), non tantum de suis Exercitiis spiritualibus, sed, immo praesertim, de suis catechesibus. De facto sententia favorabilis permittebat pergere «enseñando doctrina y hablando cosas de Dios», quamvis prohiberet «que nunca definiesen: Esto es pecado mortal o esto es pecado venial, si no fuesen pasados cuatro años, que hubiesen más estudiado» (Ib., n. 70).*

rem» vocat, addit Ignatius tres methodos orationis «*et primum quidem super praeceptis*». Quid sunt nisi simplex catechesis quae tota ad praxim ordinatur? Agitur enim de consideratione circa praecepta decalogi, sed in spiritu orationis et ut orans intelligat «*in quo defecerim*» et ut petat gratiam «*ad emendandum me in posterum*». In brevi consideratione singulorum praeceptorum, per spatium unius «*Pater*» et tres «*Ave Maria*», si inveniantur defectus, venia est petenda et remissio. Proponit Ignatius similem methodum pro consideratione peccatorum cardinalium; considerando etiam «*septem virtutes illis contrarias*» quas sanctis exercitiis acquirere conabitur. Simili modo suggerit considerationem circa potentias animae et sensus corporis. Secundus modus orandi versatur circa varias orationes vocales, considerando sensus singulorum verborum «*tamdiu quamdiu invenit significationes, comparationes, gustum et consolationem in considerationibus pertinentibus*». In fine vero a persona ad quam dirigitur oratio «*petat virtutes vel gratias, quibus sentiat magis se indigere*». Tertius tandem orandi modus est variatio secundi, immorando in singulis verbis per spatium unius respirationis²⁹.

²⁹ *Exercitia* nn. 238-260. Utor versione latina dicta «litterali» a P. Joanne ROTHAN, praeposito Generali Societatis Jesu, 1852 in 4^a ed., Marietti, Taurini-Romae 1928.

In processu episcopali complutensi unus ex testibus respondet: «...a los cuales todos el dicho Iñigo estaba dotrinando los dos mandamientos primeros, conviene a saber, amar a Dios, etc., y sobre esto habló muy largamente...» (citatus a VILLOSLADA, o.c. [cf. nt. 26] p. 282). Alius: «E con éstas ha hablado [Iñigo], enseñándolas los mandamientos e los pecados mortales e los cinco sentidos e las potencias del ánima,... e lo declara por los Evangelios e con sant Pablo e otros santos...» (p. 284). «Cosas más razonables, más católicas y conformes a la enseñanza de la Iglesia no se pueden pedir a un catequista», comentatur VILLOSLADA, qui

Tandem decima octava ex «*Adnotationibus*», quibus indolem Exercitiorum declarat, necnon practica aliqua proponit sive pro direttore sive pro exercitante, haec quae sequuntur proponit, quaeque illustrent suas catecheses:

«...ne homini rudi vel exiguae complexionis tradantur ea quae commode ferre non possit... Itaque ei qui iuvare vult ut instruatur, et ut perveniat usque ad certum gradum contentam reddendi animam suam, dari potest examen particulare, ac postea examen generale, simul et modus orandi, mane per mediam horam, circa praecepta, peccata mortalia, etc... Hic modus magis est conveniens rudioribus seu illiteratis, declarando illis unumquodque praeceptum, et sic de peccatis mortalibus, praeceptis Ecclesiae, quinque sensibus, et operibus misericordiae...» (Exercitia, 18).

Agitur quidem de catechesi, ut dixi, quae non mere instruat intellectum sed quae fidem et praxim christianam promoveat³⁰

10. Verum, id notandum est, per totam suam vitam apostolicam, etiam postquam studia cum non mediocri exitu in Universitate Parisiensi, gradu magistri conclusit³¹ quin immo, postquam ipse in viis

adhuc praebet duo alia similia testimonia (*Ib.*). Alia adhuc in pp. 288-289.

³⁰ Vicens nunc can. 773 qui de pastorum responsabilitate catechetica agit, notionem continet «modernam» catechesis, eius finibus indicatis «*ut fidelium fides, per doctrinae institutionem et vitae christianae experientiam, viva fiat explicita atque operosa*» (cf. ChD 14, 1; GE 4; SCler., *Directorium Catechisticum Generale*, nn. 21-30; *Evangelii nuntiandi*, n. 44; *Catechesi tradendae*, nn. 18-25).

³¹ Experientia edoctus, apostolatam catechisticum intermisit, durantibus studiis Parisiis. Ipse agnoscit non ibidem difficultates experiri sicut in Hispania «*porque yo no hablo a nadie de las cosas de Dios; pero acabado el curso tornaremos a lo acostumbrado*» (*Autobiografía*, n. 82). Evidenter non se refert ad conversa-

Domini profunde mysticus iam a tempore proficiebat, numquam dereliquit ministerium docendi doctrinam christianam sive pueris sive rudibus.

Sic, cum ad restituendam sanitatem in patriam a Parisiis revertitur, quamquam sive praedicatione, sive aliis providentiis, reformationem morum efficaciter curavit, statim catecheses iterum assumit³², quarum memoria per longum tempus manebit, ita ut in processu canonizationis inveniantur testimonia eorum qui gloriantur se fuisse auditores³³.

Nihil mirandum hunc suum zelum catechisticum transtulisse in suos socios. Sic, dum expectant opportunitatem iter arripiendi in Terram Sanctam, ut votum parisiense impleant, «*docent doctrinam christianam pueris et rudibus per varios vicos*»³⁴.

Cum iam Romae versatur antequam approbationem Societatis obtineret anno 1540, plures in Exerci-

tiones privatas (iuxta Exercitia spiritualia) quibus novos socios sibi asciscebat (cf. *Ib.*, etiam n. 86).

³² «Y luego desde su llegada, determinose a enseñar la doctrina cristiana todos los días a los niños... Eran muchos los que constantemente venían a escucharle...» (*Autobiografía*, n. 88).

De fructibus apostolicis cf. VILLOSLADA, o.c. [nt. 26], pp. 275-387.

³³ Inter alios Francisco de Zuola «se acuerda cómo le enseñaba las oraciones y los mandamientos, y que muchas veces le tuvo examinándole en ellos» (*Monumenta Ignatiana*, ser. IV, vol. II, p. 208).

³⁴ «Como era de suponer, los compañeros de san Ignacio quedaron también pronto contagiados de este su fervor catequístico» (De ALDAMA, a.c. [nt. 6] 3). Refert testimonium RIBADENEIRA in sua *Vida de San Ignacio*, l. II, c. 10, n. 45 (MI FontNarr. IV 267). «Impone a sus amigos maestros el humilde deber de enseñar los rudimentos cristianos a niños y a rudos» (TELLECHEA, o.c. [nt. 23] 316).

tiis spiritualibus perficiendis dirigit, sed non minus catechismum docet quam socii qui «*praedicabant in ecclesiis aut in plateis, iuxta opportunitatem, et pueros colligebant quibus doctrinam christianam docerent*»³⁵. Ignatius ipse scripsit: «*...licentiis obtentis, incepimus... etiam proponere adolescentibus praecepta, peccata mortalia, etc...*». Immo primi socii Ignatii fiunt quasi catechistae officiales urbis Romae quando, iussu PAULI III, urbis Rector praescripsit scholis ut convenirent ut ab ipsis pueri docerentur doctrinam christianam, prout [in iisdem litteris] ipse Ignatius scripsit³⁶. Immo inter prima opera sua apostolica quae suscitavit, invenitur «Catechumenatus», cuius in Autobiographia (n. 98) mentio tantum invenitur³⁷.

³⁵ VILLOSLADA, o.c. [nt. 26] p. 448.

³⁶ Ad Isabel Roser, 19-12-1538, apud VILLOSLADA, o.c. [nt. 26] p. 450.

³⁷ Iuxta RIBADENEIRA, admissus adhuc puerulus nondum 14 annis natus, ab ipso Ignatio, — tantum post quinque annos vota emisit, et post tresdecim est sacerdotio auctus — qui erit primus sui patris biographus, nec locus, nec magistri, nec media materialia habebantur ad iuvandos eos qui vellent Ecclesiam amplecti unde, non obstante paupertate, Ignatius in propriam domum pluries quosdam suscepit, ut eos doctrinam doceret, et quibus etiam officium quoddam procuraret. Catechumenatus fundatus est — iam approbata Societate — a Paulo III (a. 1542), pro hebraeis et islamicis. Notandum, obtinuisse Ignatium ut S. Pontifex decerneret ne bona conversorum ab eis tradenda essent fisco neve ipsi amitterent ius adeundi hereditatem etsi conversi essent invitis parentibus (cf. *Obras completas de San Ignacio de Loyola*, T. I, Autobiografía y Diario Espiritual. Introducciones y comentarios del R.P. VICTORIANO LARRAÑAGA, B.A.C., Madrid 1947, p. 557; Vide etiam VILLOSLADA, o.c. [nt. 26] 537-538).

Ad Isabel Roser, in Hispania, post subsignationem scripsit Ignatius mense decembri 1538: «*...el Papa [Paulus III] ha mandado proveer, por via del Gobernador, para que se de orden a la ciudad cómo, juntándose las escuelas de los muchachos, les*

11. Societate Iesu iam a PAULO III per Litteras Apostolicas *Regimini militantis Ecclesiae*, diei 27 Septembris 1540, approbata, ideoque in gubernio incipientis Ordinis — electus fuit superior mense aprili anni sequentis — necnon in labore conscribendi eiusdem Constitutiones occupatus, Ignatius pergit suas ad populum simplicem catecheses. Biographi Ignatii facilliter attentionem dirigunt ad magnitudinem operis, in centro christianitatis, in mittendis filiis ad quattuor mundi plagas, in eorum ministeriis ordinandis, in consiliis dandis principibus ecclesiasticis vel civilibus, atque in Constitutionibus redigendis et ita, quodammodo inconscie, via sternitur defigurationi imaginis tam a panegiristis quam a detractoribus. Ignatius ostenditur gigas, planificator modernarum viarum apostolatus, cerebrum institutionis quae centrum historiae catholicitatis occupabit, qui motum catholicae reformationis dirigit...³⁸

«Tandem aliquando, valedicere debet illi occupationi quam libenter imponebat suis, etiam magni

instruyamos en la doctrina cristiana, como antes lo comenzamos a hacer» (MI, Epp. I, p. 14).

³⁸ Agnoscit TELLECHEA: «*Resulta difícil para el biógrafo aislar la historia de Ignacio de la de su obra...*». Et quamvis iuste auctor decernat: «*Decididamente, habremos de ceñirnos a Ignacio*», et ipse tamen certae rethoricae cedit «*Ignacio, el timonel de la Compañía, el forjador de la institución y de sus hombres, paciente, reflexivo, abierto al ancho mundo y a las necesidades de los tiempos...*», quamquam optime temptationi resistit per talem viam continuandi: «*...Y, sobre todo, [abierto] a la voz callada del espíritu... contemplativo en el más ancho uso de la palabra... Un solitario, aunque rodeado de gente... A partir de ahora, su vida pierde espectacularidad y variedad narrable, se concentra; su intimidad más honda se esconde. Hemos de penetrar su misterio viendo en qué se ocupa, qué escribe y que proyecta*» (o.c. [nt. 23] 294).

nominis doctoribus», scribit TELLECHEA³⁹. Videtur auctor hic alludere occupationi adiuvandi coquo quam, ut auctor refert, Ignatius vix Generalis electus assumpserat, sed, maiori adhuc cum proprietate, hanc assertionem applicares Ignatii ministerio «*doctrinam christianam pueris ac rudibus docendi*», de qua idem auctor recolit Ignatium catechesi tradendae incubuisse per quadraginta et sex dies in aestate anni 1541, paucos post menses ab electione tanquam superior generalis.

Re quidem vera, ut auctor recolit, iam suis specificis occupationibus detentus, necnon tot personis nobilibus sive ecclesiasticis sive saecularibus se quaerentibus occurrere debens, non raro sistebat in aliqua via aut platea ut pueris verba quaedam indoctrinationis faceret. Nec semper cum acceptatione, semper vero cum fructu, prout ex processu beatificationis discimus in quo, exempli gratia, narratur quidam Castellani testificasse se ab Ignatio didicisse «*Pater noster*» et «*Ave Maria*»⁴⁰. Iuxta VILLOSLADA verisimilius est Ignatium non ita aegre tulisse valedicere praedicationibus quam catechesi populari rudibus et pueris⁴¹.

12. Ut supra (n. 6) dictum S. Ignatius commendabat scriptam habere in compendium redactam explicationem rerum ad fidem et vitam christianam necessariarum seu catechismum. Etiam sub hoc respectu suis filiis commendabat quod ipse prius fecerat, etenim servatur, ex hoc tempore romano, «*Summa praedicationum Magistri Ignatii super doctrinam christianam*», non quidem «catechismus» in sensu conven-

³⁹ *Ib.*, 294.

⁴⁰ TELLECHEA, o.c. [nt. 23] p. 296.

⁴¹ O.c. [nt. 26] p. 550.

tionali, sed propriae praeparationes lectionum catechismi. Sufficit considerasse diversa puncta scripta, ut statim appareat substantiam suae catechesis non mutasse a temporibus in Alcalá, sed constitisse ex illis quae in Exercitiis spiritualibus notavit, prout supra etiam reolebam (n. 9). Non agitur in hoc scripto de quadam integrali praesentatione doctrinae christianae in suis primis elementis, sed fere tantum tangit illa puncta moralia concreta quae iuvare poterant pueros et rudes ad praxim vitae christianae. Agit enim de contritione, confessione et satisfactione. Et quae sequuntur, sine ordine systematico, videntur praeparationem ad receptionem sacramenti, scilicet de sensu nos signandi cruce, de mendacio, de peccato mortali et veniali, de amore Dei et proximi, de singulis mandatis decalogi et Ecclesiae, de septem peccatis mortalibus, de peccatis vel virtutibus per quinque sensus atque tandem de operibus misericordiae. Verumtamen, illa puncta moralia praecedebantur vel simul proponebantur cum indicationibus essentialibus circa doctrinam in qua fundari poterant. Sit exemplum introductio in mandata Ecclesiae:

«Ecclesia utpote quae est congregatio fidelium, et illuminatur et gubernatur a Deo Domino nostro, intelligere debemus eundem Dominum qui decem dedit mandata, et ipse est praecipuus dator eorum quae Ecclesia proponit, eo fine ut nos plene in oboedientia et servitio suae Maiestatis tutius salutem assequi possimus. Primum mandatum est...»⁴²

13. Quod si ipse iam non catechesim rudibus et pueris exercere personaliter potest, non cessat insistere ut hoc ministerium habeant sui filii qui varias

⁴² *MI.*, Epist. Ignat. vol. XII, Append. p. 666.

missiones, maioris saepe momenti ecclesialis, aggrediebantur, iussu sive Romani Pontificis sive ipsius Ignatii. Exstant quidem variae instructiones quas, ut Praepositus generalis, scripsit pro eis:

«*Versabantur normae et instructiones*» — scribit VILLOSLADA — «...circa artem conversandi cum auctoritatibus et magnis benefactoribus, ecclesiasticis vel laicis; circa modum petendi eleemosynam necessariam pro sustentatione propria;...»⁴³.

Sed in illis numquam deerat commendatio huius apostolatus doctrinam christianam tradendi pueris et rudibus. Sit exemplo instructio quam a. 1546 scripsit pro LAINEZ et SALMERON qui ut sui theologi ad Concilium Tridentinum a Pontifice Paulo III mittebantur, necnon instructio pro LE JAY qui, ut procurator Cardinalis Augustani, iam ibi versabatur:

«*Id quod, ad maiorem Dei D.N. gloriam a nobis quaeritur... in hoc consistit ut... praedicando, confessiones audiendo, legendo, pueros docendo...*

6^o. *Pueros docendo per aliquod tempus conveniens, iuxta capacitatem et dispositionem omnium, proponendo prima rudimenta et, iuxta auditores, ea plus minus explicando, et versus finem instruere ac exhortari, invitando ad orationem pro eodem fine*»⁴⁴.

Theologis autem SALMERON, CANISIO, LE JAY, quos a. 1549 missit ad universitatem Ingolstadt, postquam plura generalia proponit circa eorum personalem vitam et cum proximis conversationem, agit de lectionibus universitariis, et statim proponit ministeria praedicationis et opera caritatis, addendo: «*Etiam*

⁴³ O.c. [nt. 26] p. 615.

⁴⁴ *MI*, Epist. I, Marietti, 1903, 387 et 388.

[se occupent] *in pacificandis inimicis atque in doctrina christiana tradenda rudibus*»⁴⁵.

Post sex annos, epistulam missit ad CANISIUM (revera ad regem Ferdinandum, tramite Canisio) qui quaesierat circa media servandi fidem in Germania, in qua plura proponit circa politicam religiosam Ferdinandi ac deinde alia directe ad doctrinam catholicam firmandam, inter quae legimus:

«Utile erit ut toti iuventuti proponant magistri unum aut duos Catechismos seu Expositiones doctrinae christianae, quae contineant summam veritatis catholicae...»⁴⁶.

14. Concludendo:

«In Constitutiones confluunt antiquae suae experientiae personales, quae assumuntur, ut peregrinationes, servitium in hospitalibus, catechismus pueris...

Oportet legere Constitutiones luce transversa ut inveniamus in ipsis imaginem delicatissimam consilii Ignatii, viarum suarum, nervi suorum Exercitiorum, ac summatim inum suum animum»⁴⁷.

⁴⁵ «Así mismo en hacer paces, y enseñar a los rudos la doctrina cristiana...». Apud VILLOSLADA, o.c. [nt. 26] p. 869.

⁴⁶ Apud VILLOSLADA, o.c. [nt. 26] p. 872.

⁴⁷ «En las Constituciones, se remansan y funden sus viejas experiencias personales, asumidas — peregrinación, hospitales, catecismo de niños — o rectificadas — cuidado de la salud, dedicación total y tranquila al estudio —; su sentido de acomodación a los imperativos del grupo o de una familia ya muy numerosa, su respuesta a impensadas tareas urgidas por las circunstancias o por encargo del Papa, sus precauciones ante el ingreso nutrido de nuevos candidatos y la escrupulosa prueba de su vocación y de su adaptación al modo del instituto. Es preciso leer las Constituciones al trasluz para descubrir en ellas, como en filigrana, la imagen del proyecto ignaciano, de sus caminos, del nervio de sus Ejercicios, en suma, de lo más hondo de si mismo» (TELLECHEA, o.c. [nt. 23] p. 349).

In illis textibus in quibus sufficienter expressit suam imam persuasionem utilitatis huius humili ministerii catechesis tradendae, invenimus profunditatem sui spiritus.

In illa profunditate non possumus non agnoscere, ad Ignatii fundatoris charisma pertinere, non solummodo personale sed suis transmittendum, in sui ipsius experiētiis vitalibus apostolicis iam ab ipsa conversione habitis fundatum, cura et praxis huius ministerii humilis doctrinam christianam tradendi pueris et rudioribus.

Ignatius conversus, satis ignarus doctrinae christianae fundamentalis, et qui in primis gressibus vitae spiritualis experitur Dominum eum quasi manu ducere, sicut magister, prout ipse confitetur in *Autobiographia* (n. 27), statim proximos suos adiuvere conatur. Statim etiam non potest non persentire obstaculum ignorantiae doctrinalis in auditoribus, ita ut pro quamplurimis ex ipsis, ipse intelligat prima elementa doctrinae christianae sufficere sive pro ferventi praxi vitae christianae, sive tanquam fundamentum necessarium ulterioris in spiritu progressionis.

Preterea, in hoc ministerio Ignatius aliam experientiam spiritualem magni ponderis persentitur, quam etiam a suis persentiendam continuo curavit, humilitatem scilicet. Verumtamen quam initio ut obligationem cogitaverat, tandem in concreto a Superioribus moderandam praescribit. Sed si cogitamus sive de praescriptionibus Constitutionum sive de mentione in ipsa formula professionis huius in concreto ministerii, mens et amor Ignatii, vere mirandus, circa hoc ministerium apertissime patet.

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.